

idipsum restituere docet; cum ergo omnes scientiæ utiles in Academia laudanda doceri debeant, & scientia hæc salutaris publice privatimque est docenda, adeoque constituendi Professores Medicinæ, qui & solide & diligenter artem hanc salutarem doceant.

Notum est ex historia Medicinæ literaria, Scientiam hanc primum quidem certis quibusdam fuisse quasi hæreditariam, adeo, ut **CONRING** *Introd. in Univ. Art. Med. c. 1.* non vereatur scribere: Successores Æsculapii Medicinam veluti hæreditario jure acceptam posteris tradidisse. Notum est, tres medicorum scholas Coam, Cnidiam & Siculam fama fuisse celeberrimas, sed eas ipsas inter se plane non consentientes. Neque ignoramus, scholam illam Salernitanam, auctore *Constantino Africano* post seculum a Christo Nato duodecimum excitatam, & multis celebratissimis medicis famigeratissimam. Adfert multos laudatus **CONRING**, *loc. cit. c. 3.* viros scientia rei Medicæ æternam nominis famam meritos; at ex hoc nequaquam fluet, Artem istam Salutarem in Academiis tractandam non esse, quod enim omnes scientiæ utiles locum in Academiis sibi postulent, & hæc eum jure sibi vendicabit, præcipue, quod Medicinæ cultores in Academiis & aliarum disciplinarum, quæ ad ejus & pleniorum cognitionem & ad ornatum non parum conferunt, in Academia inveniant uberrimam facultatem.

§. XXIII.

At vero, & Theologia & Jurisprudentia & Medicina ut solide addiscantur, non postulatur tantum habitus ratione sua recte utendi, sed & multæ aliæ Disciplinæ, ante cognitæ, prærequiruntur, quas vulgari vocabulo Philosophicas Disciplinas appellare consueverunt, sunt ergo & in Academia bene constituta ii constituendi Docentes, qui Disciplinas Philosophicas & solide & diligenter doceant.

Atque